



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Medvlla Theologiæ Moralis**

**Busenbaum, Hermann**

**Monasterii Westphaliæ**

Dub. III [i. e. VII]. Quæ obligatio Præceptorum & discip.?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40957**

Potest tamen ex justa causa & licentia Episcopi ad breve tempus abesse, v. Nav. c. 25. Az. t. 2. l. 2. c. 4. Possen. Barbos. Trul. l. 4. c. 1. d. 8.

2. Tenetur administrare Sacramenta, quoties & quanto cum periculo. v. infra & Bon. t. 1. d. 4. q. 5 p. 2. Poss. Barb. ll. cc.

3. Orare pro populo, & celebrare, ut populus audiat Missam: quam etiam teneri cum eidem applicare diebus saltem festis, & aliquot aliis, docet Tol. l. 3. c. 5. Sed negat Suar. Cón. in 3. p. q. 83. a. 1. d. 11. cum nullo jure id cautum sit. v. Bon. q. ult. Barb. l. c.

4. Docere populum, concionando, arguendo, &c. per se vel alios, Tol. l. 5. c. 5. Poss. Barb. Trul. ll. cc. v. supra.

5. Tenetur singulis diebus Dominicis, & festis solennibus populo doctrinam Christianam explicare, per se vel alium, ut constat ex Trid. Sess. 24. c. 4. de ref. idque sub gravi obligatione etiam juris divini, ob summam necessitatem, propter quam eos ab Episcopis, aliisque Prælatibus ad id cogi posse sub pœna excommunicationis, (omnesque alios, ut eam audiant, discant & sciant) docet Trul. l. 1. c. 1. d. 4. n. 7. & 8. Baldel. to. 2. l. 1. d. 48. ex Sanch. Pala. Barb. &c.

6. Tenetur infirmos visitare, pauperum curam habere, peccata corrigere, &c. de quibus Poss. Reg. 1. 2. l. 20. c. 5 f. 3. Barb. c. 7. v. supra.

### DUBIUM VII.

*Qua obligatio Præceptorum & discipulorum?*

Resp. Inter Præceptores (idem est de pædagogis)

gis) & discipulos est quodammodo eadē obligatio, quæ inter parentes & liberos: *Vnde resolves.*

I. Discipuli peccant. 1. Si Præceptoribus & pædagogis non exhibeant honorem & reverentiam. 2. Si non obediant in rebus pertinentibus ad studia, & bonos mores. 3. Si eos convitiis, vel contumeliosis verbis traducant. 4. Si negligenter student, scholarum aut studiorum tempore lusui vacent, vel otio. 5. Pecunias parentum dilapident, vel inutiliter expendant. 6. Malo fine studeant. 7. Gymnasii sui leges, vel Academiae statuta (si quidem ea ad peccatum obligent) non servant. 8. Scientias superstitiosas aut veritas addiscant, vel libros prohibitos legant. 9. Stipendium debitum doctori suo non solvant, cum possint, *v. Nav. c. 13. & 21. Fil. tr. 28. p. 2. c. 10. q. 1.*

II. Magistri & pædagogi peccant, 1. Si peccata discipulorum dissimulent, & non corrigant, quando possunt. 2. Profectum eorum in literis non sedulo promoveant. 3. Non doceant bonos mores. 4. Si ex proposito falsa doceant, ut vera, vel superstitiosa & saluti noxia. 5. Non studeant ipsi, ut officio satisfaciant. 6. Si stipendium exigant majus justo, vel quàm Gymnasii leges, aut consuetudo permittat. 7. Doctoratus insignia negent dignis, vel indignis conferant, quod *Nav.* dicit esse mortale, præsertim in Theologia, Jure Canonico, Civili, & Medicina: nam in Philosophia fortè veniale tantum esse censet *Caj. V. Doctoratus.* 8. Si discipulis malo sint exemplo. 9. Si malis moribus imbutos, & qui aliis perniciosi sunt, ad scholas admittant, vel ex his non dimittant. *v. Trul. l. 4. cap. 1. dub. 11.*

TRA-